

## ACTA COMMISSIONUM

PONTIFICIA COMMISSIO  
DECRETIS CONCILII VATICANI II  
INTERPRETANDIS

## Responsa ad proposita dubia

Patres Pontificiae Commissionis Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, respondendum esse censuerunt ut infra ad singula :

## I.

(*De dispensatione a forma canonica celebrationis matrimonii mixti*)

D. — Utrum ad normam Litterarum Apostolicarum *Motu proprio* datarum die 31 martii 1970, quae verbis incipiunt *Matrimonia mixta*, Ordinarius loci possit concedere dispensationem a forma canonica celebrationis matrimonii mixti si unus sit catholicus, alter vero fuit quidem baptizatus in ecclesia catholica, sed deinde a fide deficiens ad aliam confessionem non catholicam conversus sit.

R. — *Affirmative*, dummodo graves difficultates formae canonicae servandae obstant.

## II.

(*De Auctoritate competenti pro erectione Seminarii*)

D. — Quaenam sit Auctoritas competens pro erectione Seminarii nationalis vel regionalis, de quo in n. 7 decreti de institutione sacerdotali, *Optatam totius*, Sacrosancti Oecumenici Concilii Vaticani II.

R. — Auctoritas competens est Conferentia Episcoporum cuius interest; eius tamen decisio a Sede Apostolica approbari debet.

SS.mus Dominus Noster Paulus Pp. VI in Audientia die 11 februarii 1972 infrascripto impertita supradictas decisiones ratas habuit, adprobavit et publicari iussit.

PERICLES Card. FELICI, *Praeses*